

**b. Dekret wprowadzający zmiany do Obrzędów chrztu dzieci**

**CONGREGATIO DE CULTU DIVINO  
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM**

Prot. N. 44/13/L

**DECRETUM**

Vitae et regni ianua, Baptismus est sacramentum fidei, quo homines incorporantur unicae Christi Ecclesiae, quae in Ecclesia catholica subsistit, a Successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata.

Unde Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum visum est variationem quandam in editionem typicam alteram Ordinis Baptismi Parvulorum inducere, eo ut in eodem rite melius in lucem ponatur tradita doctrina de munere et officio Matris Ecclesiae in sacramentis celebrandis. Dicasterium proinde ea, quae sequuntur, disponit:

Ordo Baptismi Parvulorum in posterum sic recitet:

1. «41. Deinde celebrans prosequitur dicens:

N. ...., N. (vel Filioli), magno gaudio Ecclesia Dei vos excipit. In cuius nomine ego signo vos signo crucis; et parentes vestri (patrinique) post me eodem signo Christi Salvatoris vos signabunt.

Et signat ununquemque parvulum in fronte, nihil dicens. Postea invitat parentes et, si opportunum videtur, patrinos, ut idem faciant».

2. «79. Deinde celebrans prosequitur dicens:

N. ...., magno gaudio Ecclesia Dei te excipit. In cuius nomine ego signo te signo crucis; et parentes tui (patrinique vel et matrina) post me eodem signo Christi Salvatoris te signabunt.

Et signat parvulum in fronte, nihil dicens. Postea invitat parentes et, si opportunum videtur, patrimum (matrinam), ut idem faciant».

3. «111. Celebrans prosequitur dicens:

Filioli, magno gaudio Ecclesia Dei vos excipit. In cuius nomine ego signo vos signo crucis.

Producit signum crucis super omnes infantes simul, et ait:

Et vos, parentes (vel patrini), infantes in fronte signate signo Christi Salvatoris.

Tunc parentes (vel patrini) signant parvulos in fronte».

4. «136. Catechista prosequitur dicens:

Filioli, magno gaudio Ecclesia Dei vos excipit. In cuius nomine ego signo vos signo crucis.

Producit signum crucis super omnes infantes simul, et ait:

Et vos, parentes (vel patrini), infantes in fronte signate signo Christi Salvatoris.

Tunc parentes (vel patrini) signant parvulos in fronte».

5. «170. Deinde celebrans prosequitur dicens:

N. ..., magno gaudio Ecclesia Dei, cum parentibus tuis gratias agens, te excipit testificaturque te iam ad Ecclesia fuisse receptum. In cuius nomine ego signo te signo Christi, qui tibi in Baptismate vitam largitus est et Ecclesiae suae te iam aggregavit. Et parentes tui (patrinusque vel et matrina) post me eodem signo crucis te signabunt.

Et signat infantem in fronte, nihil dicens; postea invitat parentes et, si opportune videtur, patrimum, ut idem faciant».

Ego infrascriptus Congregationis Praefectus, haec Summo Pontifici Benedicto XVI exposuit, qui, in audiencia die 28 mensis ianuarii 2013 eidem concessa, textum praesentem editionis typicae alterae Ordinis Baptismi Parvulorum modo sopradicto posthac variari benigne statuit.

Quae statuta de Ordine Baptismi Parvulorum statim ab omnibus, ad quos spectant, serventur et inde a die 31 mensis martii 2013 plenum habeant vigorem.

Curae autem Conferentiarum Episcopalis committitur ut variationes, in Ordine Baptismi Parvulorum factae, in editiones eiusdem Ordinis lingua vernacula apparandas inducant.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 22 mense februarii 2013, in festo Cathedrae sancti Petri Apostoli, datum.

Antonius Card. Cañizares Llovera,

*Praefectus*

+ Arturus Roche,

*Archiepiscopus a Secretis*